

184

182

188

178

193

173

233

133

283

083

Ende

Anfang

169

colossensem veniremus: beneficio tamen luminis lunae adjuti
navigavimus usque in ipsum portam et ibi nave stabilita per
noctem quievimus. In ipso autem portu reperimus galēam
domini Augustini, qui cum suis peregrinis in civitate erat.

Vicesima secunda die, quae fuit dominica 4. post Trinitatis
et festum decem millium Martyrum, obtenta licentia a magistro
magno militum Ierosolimorum, sine cuius expresso consensu
nemo ingredi civitatem permittitur, egressi sumus de galēa
et colossensem civitatem, quam Rodum nominant, intravimus.
Ascendimus autem in castellum dominorum in ecclesiam S.
Johannis et ibi dominicale officium audivimus. Finita missa
advenerunt domini Johannitae, nobiles de Alemannia, ad
Dominos meos, et eos ac nos omnes cum multa reverentia et
laetitia suscepserunt, et reliquias ostenderunt: et post hoc
nobis in domo quadam honesta optimam provisionem fecerunt,
et ibi pransi fuimus. Infra prandium dominus Augustinus
cum suis peregrinis recessit. Quod videns dominus Piro
Lando, noster patronus, tuba cecinit, nosque in galēam revo-
cavit, et festinanter processimus ad galēam. Dereliquimus
tamen in civitate quosdam bonos et probos milites, qui infirmi
facti ulterius non poterant procedere: inter quos erat dominus
Jerotheus de Ratzenhusen et quidam Johannitae, qui de Venetiis
nobiscum venerant, et fideles ac jocundi socii nobiscum fue-
rant, de quorum amissione omnes turbati fuimus. Valde enim
socialis et jocunda familiaritas contrahitur in navibus, sicut
in studiis et in balneis, et separatio sequens est poenalis.
Remansit etiam unica mulier, quae nobiscum erat, quia extra
civitatem ad quandum ecclesiam evagata fuerat, non existimans,
galēam hoc die recedere. De illius autem mulieris nemo
tristis erat absentia, nisi maritas ejus, quia fecerat se ultra
modum odiosum suis fatuis locutionibus et curiosis indagatio-
nibus rerum inutilium. Erat etiam quidam pauper, quem
patronus Dei amore usque huc duxerat, sed amplius eum
ducere nollebat. Ille stetit in littore plangens et ejulans, quod
non posset venire in Ierusalem. Cui Domini mei miserti eum
in galēam suscepserunt, et de expensis provisionem fecerunt.
Quendam alium socium de partibus nostris egentem, qui etiam

